



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 72. Novus orbis a Columbo detectus Regibus Hispaniæ a Papa donatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

posuit, rem esse nullius negotii, simul-  
 que ovum eodem momento leviter a ca-  
 pite tusum quassatumque deposuit ere-  
 ctum. Tum ridere omnes, & jactatæ  
 Columbi dexteritati, necnon rei tam fa-  
 cili ac nugatoriæ illudere; his tamen  
 subridens Columbus reposuit, quis ve-  
 strum hoc facile, priusquam vobis exhi-  
 berem, facere poterat? Talis est inven-  
 tio novi orbis, quem ante me nullus in-  
 venire sciverat, eundem vero jam a me  
 inventum nullo etiam labore se inventu-  
 ros, cuncti jactitant.

## §. LXXII.

*Novus orbis a Columbo detectus  
 Regibus Hispaniæ a Papa  
 donatus.*

Quamprimum Ferdinandus & Isabella  
 de felici navigationis, quam Colum-  
 bus absolverat, successu summum Pon-  
 tificem certiozem fecissent, mox ipse suæ  
 potestati robur adjici ratus, si impertire-  
 tur ea, (\*) quæ nec tamen Ferdinan-  
 do

(\*) Utrum summus Pontifex potestatem  
 habeat, ut Regiones infidelibus ereptas Prin-  
 cipibus Christianis donare possit, in præsentis  
 discutere, aut decidere, nullatenus instituti no-  
 stri

Sæcul. XV. do dare, nec auferre poterat, (\*) hinc  
 A.C. 1493. edidit diploma Ferdinando atque Isabel-  
 læ inscriptum, vi cuius Papa tam his,  
 quam

stri ratio exigit; hanc in rem consuli possunt  
 quæstiones morales de apostolicis Missionibus  
 R. P. Angeli Mariæ Verricelli. Id tamen haud  
 dissimulare possumus, quod continuator pro-  
 more suo nunc mordaci quadam reflexione sug-  
 gillet donationem, qua Alexander VI. regiones  
 a Columbo detectas Regi Catholico adscripse-  
 rat, cum tamen Lib. CXVI. §. XCVI. pag. 389.  
 approbare videatur, quod Innocentius VIII.  
 Ferdinandum Neapolis Regem regno suo pri-  
 vaverit, illudque ad ipsum Carolum VIII. Gal-  
 liarum Regem transferre voluerit; quinimo  
 Continuator Lib. CXVII. §. XLVII. pag. 513. re-  
 ferat, quod idem Carolus VIII. Galliarum Rex  
 jus suum in Neapolis Regnum in eo fundave-  
 rit, quod Carolus Andegavensis post Manfre-  
 dum regno exutum a Clemente IV. Neapolita-  
 næ coronæ investituram impetraverit, cum ju-  
 re successionis etiam ad ipsum Carolum Gallia-  
 rum Regem, idemque diploma Clemens VI.  
 & Martinus V. confirmaverit Num ergo so-  
 lum valida est summorum Pontificum donatio  
 Gallis facta, iniqua vero, si quas ditones in  
 alios Reges transferant.

(\*) *Dolendum sane, quod prioribus sacu-  
 lis doctrina Continuatoris, aliorumque hodie na-  
 torum*

quam ceteris illorum Successoribus Ca-  
 stellæ & Legionis Regibus perpetuo jure Sæcul. XV.  
A.C. 1493.  
 donavit omnes *Insulas terrasque firmas re-*  
*rens inventas aut imposterum inveniendas ver-*  
*sus Occidentem, & Meridiem, construendo*  
*lineam a Polo arctico, scilicet septentriona-*  
*li ad Polum Antarcticum, id est meridiem,*  
*sive terræ firmæ detectæ aut detegendæ essent*  
*versus Indiam, aut versus aliam quamcun-*  
*que plagam sitæ. Ut vero omnis conten-*  
*tio evitaretur, summus Pontifex in sua*  
*Constitutione tertia Maji anno millesi-*  
*mo quadringentesimo nonagesimo tertio*  
*edita, nec non in alio diplomate quarta*  
*die ejusdem mensis promulgato, ac de-*  
*num in tertia Bulla post evolutum ali-*  
*quod tempus emanata præscribit, quod*  
*hæc linea distaret ab Insulis, quæ vulgo nun-*  
*cupantur, INSULÆ ACCIPITRUM* *Azores Ca-*  
*ET CAPUT VIRIDE, centum leucis po Verde*  
*versus occidentem & Meridiem, ita tamen,*  
*ut omnes Insulæ & terræ firmæ a præfata*  
*linea versus Occidentem & Meridiem, quæ*  
*per alium quemcunque Regem aut Principem*  
*Christianum fuissent inventæ aut jam nunc*  
*possessæ usque ad diem Nativitatis, in ejus*  
*possessione permansuræ essent, ne quid juris*  
*in*

torum venerandæ antiquitati haud innotuerit;  
 ex illorum enim præceptis ediscere potuissent sum-  
 mi Pontifices limites. ad quos eorum potestas  
 ac jura se extendunt.

Sæcul. XV.  
A.C. 1493

*in iis competere Regibus Castellanis posset. Hanc insuper conditionem addidit Pontifex, ut ad prædictas Insulas viros probos & Deum timentes, doctos atque expertos, ad instruendum incolas in fide Catholica, destinarent. Hoc vero segnius executioni datum fuisse videtur, eoquod magis auri ab hisce incolis extorquendi aviditas, quam animarum salutis procurandæ ardor prævaluisset, uti ex iis, quæ successu temporis evenere, perspicietur (\*).*

§. LXXIII.

(\*) Plusquam trecentos Viros Apostolicos tum olim ex Societate Jesu, quam nunc ex Carmelitis Discalceatis, aliisque Ordinibus per tria ferme Sæcula Christi fidem in hisce Insulis jussu Hispaniæ & Lusitanæ Regum propagare, nemo ignorat, imo ipse Continuator refert §. 73. Bernardum Boil cum 12. Sacerdotibus prædicandi causa in Indias mox a Ferdinando missum fuisse: constat etiam horum, aliorumque verbi divini Præconum ministerio, hasce Insulas & terras firmas hodiedum fidem orthodoxam profiteri, qua ergo fronte conquæri potest, pessime executioni datum fuisse propagandæ fidei negotium, cui tamen nonnullorum Hispanorum avaritia minime obstare poterat, imo ipsimet suæ cupiditatis pœnas dederunt, eorum supplicio fides nova incrementa cepisse videtur.